

Heinrich Rudolph Redecker Otto Weidenkopf

Disputatio Iuridica De Homagio

Rostochi[i]: Kilius, 1662

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747341680>

Druck Freier  Zugang





N. K. — 2 (91.)

1. Schütz de possessione.
2. Schütz de usu fructu.
3. Schütz de obligationibus.
4. Pahn positiones ex jure civili et canonico.
5. Pahn de praesagio rerum publicarum.
6. Pahn an licet Christiano ethnico jure uti.
7. Pahn de deorsu in contractibus minorum.
8. Pahn de concursu actionum.
9. Stypmann de concursu actionum ejusque effectu.
10. Pahn de concursu et prioritare creditorum.
11. Stephani de concursu creditorum eorumque privilegiis.
12. Pahn de processu judiciario.
13. Pahn de austraegis.
14. Pahn de nobilitate.
15. Pahn positiones ex jure civili et canonico.
16. Pahn de jure emphyteutico.
17. Pahn de injuriis et famosis libellis.
18. Embere de beneficio competentiae.
19. Embere de necessaria defensione.
20. Redeker de gratia.
21. Redeker de homagio.
22. Redeker de criminibus publicis.
23. Redeker de morte.
24. Redeker de neutralitate.
25. Redeker de liquidatione.
26. Redeker de errore calculi.
27. Redeker an suspectus de tali crimine ex quo poena infamiae aut alia corporis afflictiva irrogari possit, ad juramentum praestandum sit compellendus.
28. Redeker de confessionibus.
29. Laurenberg de liberarum civitatum v. R. I. eminentia, jure et privilegiis.
30. Laurenberg de interdicto Salviano.
31. Woldenberg de vestigalibus publicis et amissionis.
32. Woldenberg de aetate canonica et qualitate et ordine praeficiendorum.
33. Woldenberg an consensus parentum in nuptias liberorum de jure divino, naturali, gentium civili et canonico de necessitate an honestate requirendus.
34. Woldenberg de majuma.
35. Woldenberg de novo anno seu oblatione votorum.

36. Woldenberg idea seu delineatio juris publici in imperio Rom. Germ.
37. Woldenberg de favore episcopi quod publice interest.
38. Rahne de successione conjugum.
39. Radov. an factum senis procuratoris et coloni aliorumve alterius nomine possidentium, atque possessionem negligentius vel dolose prodebatum domino verove possessori nocent?
40. Volochow de quaestione in tortura reorum.
41. Hegenwaldt de tributis extraordinariis.
42. Schütz de investitura.
43. Strögh de jure testandi inter liberos.
44. Strögh de pactis successoriae, eorumque iustitia.
45. Plinius de jure necessariae defensionis. Vespugner.
46. Ziegler de eo quod iustum est circa mortuos.
47. Librand de valore juramenti actui adpositi.
48. Librand de intercessione mulieris pro marito.
49. Redeker de tortura prohibenda.
50. Redeker de quaestionibus seu tortura reorum.
51. Leifer de aquae pluviae arcendae actione.
52. Leifer de responsis prudentium.
53. Novicus de fictione.
54. Radov. de archivis.
55. Pomerech de auctoritate juris.
56. Beckmann de obligationum confusione et resuscitatione.
57. Beckmann juris de non appellando et differentia juris de non evocando.
58. Schleenstein de affinitate.
59. Reichel de beneficio probandi secundae instantiae.
60. Rümelin de donatione remuneratoria et obligatione antidotali.
61. Gabe de iuribus et privilegiis miserabilium personarum.
62. Romaner de corpore delicti in criminibus facti permanentis potioribus, ad effectum condemnationis considerato.
63. Chuno ad L. S. C. ad L. Jul. majest.
64. Mylour de morgengaba Zittaviensi.
65. Heier de primo cautionis gradu.
66. Rahne de incorporatione.
67. Redeker de actu judiciali extremo seu executione.
68. Redeker de quaestoribus.
69. Woldenberg de abactu sive abigenti.
70. Lambert de miscellaneis juris controversiis et assertionibus.
71. Wedderkopff de irrogatione actorum.
72. Aichel Hafer juris controversi.

DISPUTATIO JURIDICA
DE
HOMAGIO,

Quam

Spirante divino numine

SUB PRÆSIDIO

DN. HEINRICI RUDOLPHI

Redeker / D. & P.P. hospitis ac Præ-
ceptoris sui venerandi,

publico eruditorum examini summissurus est

OTTO Weidenkopff / Slesvig. Hols.

Die 26. April: In auditorio majori horis
antemeridianis.



R O S T O C H I,

Typis JOHANNIS KILL Acad. Typogr. Anno 1662.

39.
21/
30

158
VIRO Admodum Reverendo,
Magnifico, Nobilissimo, & Maxime-Strenuo,
DN. JOHANNI A O L P H O
KIELMANN, Hereditario in Satrupholm,
Ecclesiæ Cathedralis quæ est Hamburgi Præposito,
Serenissimi Cimbrorum Ducis regnantis Consiliario
intimo, & Cancellario graviss. nec non præfecto in Morkirch, Delroth,
& Langstede; DN. Patrono, & Fautori meo devotè
honorando.

Tua, Magnifice Vir, partim in Parentes meos, partim in me
ipsum tot tantaq; deprehendo beneficia, ut resarcire illa pla-
nè desperem, verbis efferre idoneis vix me posse confidam; silentio
adeo prætereo potius, quam ut non satis dignè commemorando
aliquid eorum amplitudini detrabam. Ære alieno qui obstricti
sunt, cū solvendo se haud esse videant, solent ad precum diffuge-
re diverticula, & in bonis quicquid habent, quamvis sit exi-
guum, reliquum creditoribus offerre: usu mihi idem venire
video, qui tot Magnificentia tua obstrictus nominibus, quâ me
solvam ratione dijudicare satis nequeo. Hoc igitur primum stu-
diorum rudimentum, cum in publicum emittere animus fuerit;
quasi cuius nomini inscriberem: nec inveni vel cui vellem ma-
gis, vel cui magis deberem quam T. M. Levidense equidem hoc
novi esse munusculum, & vix tersissimis Tuæ Magnificentie
auribus dignum: sed oppidè simul in mentem venerat, magno-
rum Virorum esse, munera metiri magis ex dantis ani-
mo, quam reapse; nam illud ipsis omnino proprium, hoc autè lon-
ge infra magnificentiam eorum positum est. Suscipe igitur, Vir
Magnifice, paucas hæc pagellas sereno vultu, & si per occu-
pationes gravissimas aspicere licuerit illas, nullus dubito quin
sub præsidio M. T. aliquid favoris ex adfectu offerentis mereri
incipiant. Hæc M. T. divina protectioni commendo. Scribebam
Rostochii Anno M. DC. LXII. d. 20. Aprilis.

Tuæ Magnificentie devotissimus
OTTO Weidenkopff.



I. N. D.

DE HOMAGIO.

I.



Omagii Vox quamvis fit nova & à Longobardis deducta, rem tamen denotat vetustissimam, & gentium moribus approbatam: Dicitur aliàs & quidem venustius hominium. *Cujac. Libr. 8 Obs. c. 14. § in l. 4. C de dign. l. 12.* quasi hominis ligium, unde *Bodin. de Rep. l. 1. c. 9. p. m. 108.* Homagium appello, inquit, fidelitatem, obsequium & obedientiam, & ea jura, qua fiduciarius Domino, ex formula beneficii dare, facere tenetur: dicitur etiam Baronagiū, quia baro Vir est, quē reddit promissio hæc assurationis hominem Domini sui: interdum dicitur homologia, homologum & Pannagiū: Latine vocatur Juramentum subjectionis, quod per Landsathos & quosq; subditos in ingressu Regiminis est præstandum. *Knich. de Jur. Territor. c. 3 n. 155* itē juramentum fidelitatis, & as-

A

secura-

securationis, quia fidem hominis obligat Domino:
Germ: Eine Erbpflcht; Huldigung: Erb und Land
huldigung / Holdung quasi Beding Hold und Treu
zu sein. Gall. homage. In jure can. ipsa vox ho-
magii passim reperitur *c. fin. de R. J. c. 17. de Simon:*

II.

Denotat aurem Homagium in potiori suo
significatu. (1.) Ipsum actum solennem præstan-
di homagium seu promissionem & professionem,
ejus quod promittens debeat ac velit præstare,
(2.) Fidelitatem ipsam quæ promittitur. (3.) Obliga-
tionem ex datâ fide promanantem. (4.) Ipsum ju-
rumentum, quo mediante fidelitas promittitur,
quo respectu hanc vocem à Græco ὁμῶς deduci
posse putat *Brun: de homag. c. 1. n. 6.* magis tamen
placet quod corruptam vocem Longobardorum
ab hominio dictam *Johann. Gryph: apud Arum.
V. 2 Disp. 26. th. 62. & Duar. in consv. feud. c. 13. n. 1.*
volunt, quia vulgò subjectos, homines appellant.

III.

In primâ significatione definitur: quod sit
Actus publicus quo subditi subjectionē
& fidelitatem domino suo promittunt.
Dicitur *actus publicus*, quia agendi verbum gene-
rale est, sive verbis sive re quid agatur, *l. 19. de V. S.*
Inde actus publicus qui rem populi, & privat⁹ qui
singulorum utilitatē respicit, *l. 8. C. de fer. quod de-*
notat

notat subiectum adæquarum, homagium enim est
prima agnitio & confessio subiectionis. Thom.
Mich. de Jurisd. Conclus. 57. Cothm. Resp. Acad. 47.
n. 38. Knich. in Encycl. c. 3. & plerumq; fit medi-
ante juramento: subiectionem & fidelitatem promit-
tunt: hæc verba differentiam specificam satis ex-
plicant, consistit autem fidelitas illa in eo præci-
puè ut damnum Domini avertatur, & commodum
ejus pro virili procuretur. arg 2. F. 6. 7. Johan. Rading.
obs. 2. ob. 30. n. 2.

IV.

Dividitur Homagiū communiter in *Ligium non*
& non *Ligium*. Illud quod ligalem fidelitatē gerat,
& illi præstetur qui superiorem non agnoscit nisi
DEUM & eusem, & ubi nullius alterius personæ fide-
litas eximitur, vel reservatur. Hoc quod superiori
debitam fidelitatem reservat, ac semper intelli-
gitur fieri salvo jure tertii superioris: adeoq; in Im-
perio Romano Imperatoris persona, à quâ omnis
potestas, Dignitas, ac Jus, in Stat^o ac Proceres impe-
rii promanavit, semper excipitur. 2. F. 99. *Jacob. de S.*
Greg. de Homag. n. 5. 6. Verum ut res se ita ha-
beat, tamen Vox Ligii & non Ligii ejus naturam,
non satis explicat, quia omne Homagium est per
se Ligium, neq; inde dici potest non Ligium quando
respectu superioris aliquâ limitationem subalter-
ni juris, assertio & promissio hæc fidelitatis inducit;
A 2 quare

quare rectius distinguere possumus inter homa-
gium absolutum & respectivum seu analogum,
quod enim per accidens rei evenit ipsius rei natu-
ram non alterat: Uti itaq; Feudi divisio in Ligium
& non Ligium quam Doctissimorum JCC. secta cū
applausu approbat *Thol. in Synt. l. 6. c. 15. n. 7. Ro-*
senth. de feud. c. 2. concl. 3. Niell. D. f. th. 9. lit. B. Schrad.
de Feud. p. 2. c. 4. n. 1. non modicam dubitandi ra-
tionem suppeditat *arg. 2 F. 7. 28. 55. Humm. de Feud.*
Disp. 2. th. 60. ita firmiori consequentiā rationis
idem de homagio dicetur, cum nullum non sit
ligium. V.

Originatio hujus juris propter Doctōrū con-
flictus ambigua est, non tamen à vero illi aberrare
videntur, qui illam juri gentium ascribunt: quam-
vis enim nomen & in jure Justiniano sit incognitū,
& in Jure Feudali tantū in duobus capitibus Apo-
crisis reperiatur uti *Jacob de S. Greg. n. 1* loquitur, at-
tamen res antiquissimos mores redolet, & vestigia
ej⁹ in sacris occurrunt. *Jos. 1. vers. 17. 2. Sam. 5. vers. 3. 2.*
Paral. 23. vers. 16. Inde *Crantz. l. 6. c. 37.* ex epistola
Emanuelis Imperatoris Orientalis sequentia refert:
Sultanus inquit, imperio nostro se dedit, & missis
legatis misericordiam postulavit: fecitq; Imperio nostro
hominium, & Juramentum, pollicitus servire nobis ad-
versus omnem hominem; & Dione teste Cives Ro-
mani

mani quotannis Calendis Januar. in facta Impera-
torum jurarunt; sic etiam Judæi jurarunt Herodi,
ut refert *Baron. A. C. 2.* Francicum quoq; morem
exprimit *Ammon. l. 4. de Gest. Franc. c. 64.* Tascillo,
inquit, *Dux Bojoariorum more Francico in manus Re-*
gis in vasaticum, manibus suis semetipsum commenda-
vit, fidelitatemq; tam ipsi Regi quam filis ejus jureju-
rando super corpus sancti Dionysii promisit. *Vid. Calv.*
in lex. h. v. Ex quibus abunde patescit gentium juri
assertionem hanc fidelitatis & subjectionis esse
affcribendam.

VI.

Præstari autē debet homagiū, quando subditus
fit, vel persona Domini mutatur, c. 1. *de Pac Const. 2. F.*
5. ubi DD. quod accidit, ut alios modos taceā, mor-
te renunciatione, occupatione ac depositione. De
Morte nullū esse potest dubiū, quia illa omnia sol-
vit Nov. 22. c. 20. adeoq; vel successor si Status fit
hereditarius, vel electo, si electitius, jusexigendi
homagiū tribuit. *Renunciatio & abdicatio* eò rarior
est, quo minus ex gloria Regentis esse videtur, si
aliis potestatem sui tribuat: quo enim Principes ad
abdicationē sunt procliviores, eò pœnitentia solet
esse paratior, quod Carol V. augustissim⁹ Roman:
Imperator suo exemplo docuit, quicerte majori
cum lubentia filium quam fratrem post abdicatio-
nem substituisset, si res fuisset integra, *Occupatio*

A 3

vel

vel est invita vel spontanea: Illa qua victi victoris
arbitrio submittuntur, ipsiq; fidelitatem, ut vitam
redimant, promittere jubentur, *Vid. Grot. de Jur.
Pac. & B. l. 3. c. 4. 15. Hæc qua ultro populi se cujus-*
dam Imperio subjiciunt, quod pacto ac stipulatio-
ne eatenus fieri potest, quatenus licitum est cuiq;
qui sui juris est, personam suam aggravare S. pen.
Inst. de Jur. Pers. Jacob. de S. Greg. de Homag. n. 7. 9.
& ita homagium præstant singuli quatenus recipi
& in alicujus territorio domicilium constituere vo-
lunt, Universi quoties mutatio domini contingit.
De abdicatione satius est tacere quam periculose
scribere, vix enim potestatis ademptio sine turbis,
seditionibus ac convulsione Reip. contingit: opti-
me Tacit. Quomodo sterilitatem, inquit, aut nimios
imbres & cetera natura mala, ita luxum & avaritiam
dominantium tolerate, accedit quod divina ordina-
tio nolit, ut cujuslibet libidini subjaceat Majestas
Principis, 1. Pet. 2. Rom. 13. 2. Reg. 25. 1. Tim. 2. Exod.
22. 28. Quoties tamen Princeps violat fidem popu-
lo promissam, delictis publicis insanabiliter labo-
rat, sacra & prophana turbat, & in everfionem bo-
ni publici impense ruit, suo imputabit proprio fa-
cto, quo se potestate acceptâ privat, & ex Principe
se non Principem ipse facit Lansf. ad L. Reg. th. 101.

VII. Præ-

VII.

Præstant autem homagium illi qui ex pacto, statuto, præscriptione, beneficio, successione, vel electione dominum agnoscunt *Gail de arrest. c. 7. n. 10.* Novem autem potentiorum ac tenuiorum gradus cum *Bodi. de Repb. l. 1. c. 9. pag. m. 108* & seq. statuimus, ut subditi qui proprie homagium præstant, ab aliis fiduciariis rite separentur: (1) qui sunt in clientela superioris adversus potentiorum vim, unde juramentum clientelare, protectionis & advocatiæ *Warem. ab Erenb. de fœd. l. 1. c. 4. n. 13. Mager. in absolutissimo tr. de Advoc. arm. Brun. de Homag. th. 9.* (2) qui sunt in fœdere superiorum, *H. Grot. de antiq. Bat. c. 3.* inde juramentum confœderationis (3) qui victi pacem acceperunt & tm. salvis superioritatis juribus, tributum annuum victori solvunt, de quibus *H. Grot. de J. P. & B. l. 3. c. 15. n. 5. & seqq.* (4) qui cum ipsi Principes sint ab aliis tamen superioribus feudum agnoscunt, unde juramentum fidelitatis vasalliticum *Vult. de Feud. l. c. 6.* (5) simplices vasalli 2 *F 5 6 7.* qui ideo fideles dicuntur (6) vasalli ligii, de quibus *th. IV.* (7) coloni, agricolæ & ascriptitii, quibus hodiè proprii homines assimulantur *t. t. C. de agr. & censit* qui manus mortuæ dicuntur (8) servi, quorum formalis ratio inter Christianos merito defecit, & (9) demum veri subditi, qui ne cum insigni absurditate cum vasallis

illis, confæderatis, clientibus &c. misceantur præ-
cavendum fuit. Hi enim sunt qui proprie homagiū,
seu promissionem fidelitatis subjectitiā præstant,
quippe qui non ratione feudi aut fiducia contra-
ctæ, sed ex sui ipsius persona parere coguntur, &
subditi dicuntur, & promittunt *Zhem Herrn un-
terthan / getrewe hold gewärtig und gehorsam zu
sein / unde etiam fideles vocantur liebe / getrewe / ge-
horsahme Vnterthanē* *Gail d. l. n. 7. Knich in Encyclo 3.*
oppositivè ad *liebe* besondere.

VIII.

Subditi itaq; homagiū præstant simulac Domi-
minus secundum morem regionis vel amplitudinē
suz potestatis id exegerit, & tunc præstare illud
debent omnes subditi ac Landsassu ratione univer-
salis territorii in quo habitant, laresq; ac domiciliū
fovent, & quidem personaliter, quoniam personæ
subjectionem homagiū respicit, adeoq; præsentia
ejus requirit qui illud præstare debet *Chassan. in
consu Burg des fieds. Rubr. 3 § 1. vers. les heritiers.* Nec
refert cujus sint conditionis, Principes, Comites,
Barones, Nobiles, Cives, Rustici, Plebei & Clerici,
& quidem ex *Const Imper. Frider. de Pac. Const.
§ Vasalli*, fidelitatis juramentum præstare debent
Cives à sedecim ad septuaginta annos. Imo fra-
ter, si domicilium habeat in territorio Domini,
fratri fidelitatem hanc debet *Besold de jur. ordin.
civi.*

civ. c. 2. n. 3. in fin. Et homagium præstitum à marito ligat etiam uxorem, & præstitum à patre ligat filios, cum Pater caput & Princeps familiæ sit, eamq; totam repræsentet. *Brum. de Homag. th. 327.* Si tamen filii propriam familiam velint constituere, ipsi homagium præstare debent. De Clericis difficultatem movet *cap. nimis. extr. de J. J. c. solita. de maj. & obed.* quoniam autem omnis caro subiecta est magistratui seculari, non video quomodo sine singulari jure, vel abiectione humanitatis, hanc ordinationem spernere, vel se à subiectione magistratus legitimi eximere velit Clericus: Quod itaq; in augmentum suæ dominationis Romanus Pontifex constituit, non præjudicat terrarum Dominis.

IX.

Cum verò subditus propriè dicatur ratione domicilii, non ratione bonorum in alterius fortè territorio possessorum *l. 20. ff. ad municip. l. 5. C. de Incol. lib. 10. Chas. in Consuet. Burg. tit. de fied.* illi qui in territorio alicujus tantum habent bona, non autem domicilium, propriè subditi non sunt, nec ad homagium præstandum cogi possunt: Et, si aliquando homagium præstare consueverunt, tamen illud propriè tale non est ut subditum faciat, quia non ad inducendam vel arguendam personæ subiectionem, sed rerum in alterius territorio possessorum

B

recogni-

recognitionem tantum tendit. *Paurmeist. de Jurisd.*
l. 2. c. 8. n. 119. Reink. de Regim. Secul. & Eccles. l. 1. cl.
5. c. 3 n. 19. vera enim subjectionis promissio perso-
nalis est, & personæ subjectionem respicit, quæ
respectu rei per se non inducitur, *Rosenth. de Feud.*
Conclus. 85. c. 6. unde facile decidi potest quæ-
stio, inter comitem Ortenburgensem & Ducem
Bavariæ vehementer agitata: An status Imperii qui
qui in alteri⁹ territorio bona habet, homagiū die⁹
Huldigung præstare teneatur; *vid. Besold. th. Pr. ver-*
bo Huldigung. Wehn. Obs. Pr. voce Landhuldigung.
Coler. de Process. Execut. p. 2. c. 1. n. 3 adeoq; hujus in-
tuitu rectè homagium aliud personale, aliud Reale
dicitur, *Chas. d. l. tit. des fides Rubr. 3. §. 3. verb. & hom-*
mage. n. 23. & tit. des mains mortes. Rubr. 9. §. 9 Paur-
meist. d. l. Reink. d. l. Besold. d. l. Nam qui ad bona
se alicui subjecit, nō intelligitur se subjecisse, quoad
personā, quāvis juramentū præstiterit; quia omnis
subjectio est odiosa ac restringenda. *c. odia. de R. J.*
in 6. & actus agentium in eum finem est interpre-
tandus, quem agentes intendunt, proinde homagi-
um determinatū ab indeterminato separandum.

X.

Subditi autem nolentes homagium consve-
rum præstare, mandatis pœnalibus possunt coer-
ceri, ita in causâ *der Graffen von hohenzellern con-*
tra die haigerlachsche Dorffschaffen 16. Jun. Anno

1595.

1592. mandatum sine clausulâ Imperialis Camera de-
crevit *Ruding. singu. obs. 2. ob. 30. n. 4.* Interdum et-
iam homagium ab illis exigitur, qui non sunt abso-
lutè subditi, salvo sc. jure libertatis & pactorum,
ita Spirenses & Colonienses Episcopis loci homa-
gium præstant, & in Imperio nostro multi Status
ratione rerû alicubi sitarû aliis, cum tamen quoad
personam tantum Imperatoris subditi sint. *Thom.
Michael. de Idict. conclus. 58. lit. B.* & ita diverso re-
spectu aliquis pluribus præstare potest homagiû.
*Tilem. de Benign. Synt. 4. Decis. 1. vol. 10. n. 18. Viet.
de Exempt. Conclus. 36.* Unde aliud esse personale,
aliud reale, aliud simplex aliud respectivum homa-
gium patet.

XI.

Exigunt autem Homagium proprie dictum,
Domini Domicilii *Surd. Consil. 313. n. 66.* inter quos
primum locum obrinet Romanus Imperator, qui
jure Majestatis, suo & Imperii nomine, illud ab o-
mnibus Imperii statibus & membris immediatis
exigit. Hi enim non tantùm sunt Imperatoris &
Imperii Vasalli, verum etiam subditi, unde fide-
ritatem & subjectionem debent, & uno actu ac ju-
ramento promittunt. *Dem Kâyser / und dem
Reich trew / hold / und gehorsam zu sein / Warem ab
Erenb. l. 2. de fæder. c. 1. n. 162.* quod Imperatores in
suis mandatis innuunt: *Bei den Pffichten / Eiden /*

B 2

und

und gehorsam so sie dem Kaysen / und dem Reich ges-
ehan. *Ord. Pac. P. de Anno 1521 tit. wie der Landfriede
zuhalte. p. 125 § tit. welche umb Friedebrech. p. 130.
131. § de Anno 1548. §. Und gebieten darauff p. 363.*
Et Status fatentur, quia una cum Imperatore ceu
capite corpus mysticum constituunt, & de juribus
Imperatoris & Imperii in comitiis consultant. Quod
Imperator exigit jure majestatis à statibus Imperii,
idem *Hi* jure superioritatis & territoriali, à suis sub-
ditis in symbolū singularis præminentiae, & debi-
tæ subjectionis sibi vindicant, *Knich. de Jur. terr. c.*
3. n. 245. Wehr ein Land Fürst ist und Landfürstliche
Obrikeit hat dem gebühret die Erb und Landhülde-
gung. *Natta Consil. 628. tom. 3. n. 1. Vol 3. Cons. Mar-
purg. 35. n. 30.* adeoq; homagii præstatio non facit
subditum, sed illum qui subditus est astringit, quod
velit omnem debitam obedientiam præstare, & se
omnimodæ jurisdictioni subicere. *Gail. de arrest. c.*
7. n. 10. hoc novo vocabulo Curiales, ut ipsi subje-
ctioni colorem specialis gratiæ tribuant Landsasse-
ren vocant. Neq; tantum in liberis Imperii civita-
tibus quæ indubitato sunt Status Imperii, verum et-
iam in municipiis Magistratus Cives ad juramen-
tum assecurationis Germ. Dem Bürger End com-
pellunt, ubi tamen Domini municipiorum forma-
liter etiam includuntur, uti videre est ex formulâ
Rosto-

Rostochiensium. Non tamen hoc casu jus exigendi homagium, vi jurisdictionis competit, sed jure speciali, vel usu ac consuetudine. *Brun. th. 294.* Argentorati etiam filii familias si pubertatem plenam egressi fuerint, una cum parentibus quotannis fidelitatis juramentum præstant.

XII.

Quibusdam etiam Magistratibus non simpliciter & purè sed sub conditione, vel in casum contingentia homagium præstatur, quod non statim, sed impletà demum conditione & modo quo temperatum est, subjectionis vim parit. *Schrad. de Feud. p. 10. sect. 7. n. 27.* tale est quod jure confraternitatis debetur confratribus, in illum casum, si alter confratrum cum omni stirpe masculinà moreretur, ita Comitatus Katzenellebocensis ad Landgravios Hassiæ, Comitatus Hennebergicus ad Duces Saxoniam, & Ducatus Pomeraniæ, (exceptà eà parte quam Svecus vigore Instrumenti Pacis in satisfactionem accepit) ad Electores Brandeb. venit; & hodiernum tale pactum mutuaë successionis inter Duces Sax. & Landgravios Hassiæ servatur: & ultro citroq; homagiū conditionatū in alterius domus casum præstatur; cujus formula hæc esse solet: *Da auch nachsonderbahren / unerforschlichen Rath und willen Gottes das ganze Haus. H. an*

B 3

mān

männlichen Leibes Erben mit Tode abgehen sollte / welches doch Gott gnädig abwenden wolle / als dan dem Hause S. &c.

XIII.

Quoniam autem, inter Subditum & Magistratum est mutua relatio, ita non tantum subditi Magistratui, verum etiam magistratus subditis, non tantum privilegia confirmare, verum etiam boni Principis officium promittere tenetur, quod præcipuè consistit in defensione ac protectione subditorum, unde vulgatum illud: *Fidelis Dominus, Fidelis servus*. Nam non adeo propter Magistratum est populus, quam magistratus propter populum, ita inter Christianos, & illos populos quæ rectæ rationis usum sequuntur, nullum imperium tam absolute concessum intelligitur, in quo Imperator non teneatur aliqua promittere quæ ad imperii rationem pertinent; adeoq; summitas imperii à modo habendi merito distinguenda est. *Grot. de Jur. Pac. & B. l. 1. c. 3. n. 13. & seqq. Linn in Capitull. Imperat in prolegem. sect. 9.* Quod etiam Capitull. Imperii abunde probant. Sed quæritur num, uti subditi Domino, ita etiam Dominus teneatur jurare subditis? Hoc ex moribus & consuetudine, ex quâ omnis homagii ratio formatur, decidendum est.

XIV. In

XIV.

In explicatione formæ homagii tria sunt consideranda, *Substantialia*, *Naturalia*, & *Accidentalia*. Nam quàmvis naturalia sæpè idem ac substantialia significant, l. 27. de Cont. Empt. l. 7. §. 5. de Pact. 2. F. 48 tamen hæc sæpe invicem opponuntur. l. ii. §. i. de A. E. l. 27. §. 2 de Pact. l. 5. §. 4. de P. V. *Substantialia* sunt quæ ipsam rem constituunt, quod in homagio est ipsa promissio subjectionis & fidelitatis. *Naturalia* sunt quæ rem quidem non constituunt, sed sequuntur, adeoq; consecutiva dicuntur, tale est juramenti præstatio, quæ naturaliter cohæret homagio, *Jacob. de S. Greg. n. 33* potest tamen conventionem aut præscriptionem ab eâ separari: homagiũ regulariter enim mediante corporali juramento est præstandũ, nisi Consuetudo, Conventio aut Præscriptio, aliud induxerit, c. i. §. *Vasalli nostri de Fac Const.* adeoq; etiam absq; juramento potest subsistere *Cran. Conf. 452. n. ii.* *Accidentalia* sunt quæ possunt ex arbitrio hominum in rem cadere & non cadere.

XV.

Juramenti formula, quæ corporaliter & non per æquipollens an *Endes statt* præstanda est, pro diversorum locorum diversitate variat, singuliq; magistratus pro ratione sui status singularem formulam

mulā solēt observare, quarū alia describitur 2. F. 5. 6.
ubi jurans sex debet promittere, incolume, tutum,
honestum, utile, facile, possibile. Alia in *cap. tibi
Domino dist. 63* quam Pontifex ad stabiliendum
suum regimen sub prætextu religionis subdole fin-
xit, & postea in *clem. un. de 7 7*. interpretatus est.
Formulam in Regno Neapol. usitatam descripsit
Pandolph Gollenus. Hist. Neapol. lib. 7. detestabile est
juramentum fidelitatis & horrendis imprecationi-
bus conjunctum, quod Soldano Mamalucorum,
Regi Jacobus Bastardus Cypri Rex præstitit, il-
ludq; recenset *Paradin. in Chron: Sabaud. l. 3. c. 49*. De
homagio subditorum in Imperio Romano-Germa-
nico usitato pro more suo nervose scribit *Lehm.
in Chron. Spir. l. 2. c. 18. & lib. 2. c. 42*. Consveta fere
formula hodie est quam habet *W ehn: d. l. Das
Er wolle unterthanig / gehorsahm / hold / treu unnd
gewärtig sein / seines Herrn Frommen fodern / unnd
schaden wenden / &c. junge Ruding. d. v.* cum qua
etiā ferè coincidit illa formula quam nostri Cives
Rost: Serenissimis suis Principibus præstant. Sem-
per tamen antiqua & verus forma observari debet,
ne novum fortasse onustacite imponatur, cum
mutatio sine periculo alterutrius vix evenire soleat
Maul. de Homag. c. 1. n. 18. & si non in consveta for-
ma juramentum exigere, subditi illud recusare
possunt

possunt. *Schrad. de feud p. 10. f. 15. n. 98.* cum tale juramentum contra
consuetam formam præticum metu extortum præsumatur, & pro nul-
lo reputetur, *Jacob. de homag. n. 33.*

XVI.


Præter juramentum variæ accedere solent solennitates, de
quibus certa regula dari nequit, quandoq; præstatur genibus fle-
xis, quandoq; elevato pectore, quandoq; junctis manibus intra manus
Domini (quia manus potestatem significat *L. 5. de J. & J.*) quandoq;
deposito corrigio; in quibus omnibus attendendum est, quid anti-
quitus obtinuit & contrevit. Status Imperii quia simul Juramentum
vasalliticum, quod in specie fidelitatis, & subjectionis, quod in specie
homagium vocatur, præstant: olim in Ecclesiasticis sub sceptro
in secularibus autem sub vexillo, homagium deposuerunt *Spec. Sax. l. 3.
art. 60.* Hodie missis sceptrorum & vexillorum solennibus, succæsit
gladius, cujus capulum exosculetur is qui juramentum præstitit. Ille
tamen modus quo est antiquior, eo etiam videtur generosior. An au-
tem is cui homagium præstatur possit pro recognitione aliquod accipe-
re auctoramentum? Quod à subditis ultro offertur honoris gratia do-
num, ad exemplum præsidum Provinciarum *arg. l. 6. de off. Præs.* hone-
stius accipit, quam ut ab invitis aliquid extorqueat, cum, uti notum est,
novi Domini in signum lætitiæ missilia soleant invulgas spargere. Quod
etiam gloriosa gratiosa mentis declaratione *Serniss. Princeps ac Dominus,
Dominus CHRISTIANUS, Dux Mechlenb. &c. &c.* cum Rostochii Illustris-
sime homagiale actum 23. April. adornasset, clementissimè fecit.

XVII.

Effectus homagii varii sunt (1.) est agnitio subjectionis & assecu-
ratio obedientiæ *Jacob. n. 26.* cujus species variæ sunt ut vix nomina re-
periant, quæ; si non exhibeant requisiti subditi, remediis pœnalibus pos-
sunt adigi. (2.) transit ad heredes quatenus legitimi heredes exigenti-
um semper includuntur; renovatio itaq; quæ mutatâ personâ Domini
contingit, majoris securitatis causâ fit. (3.) Homagium præstans sem-
per sortitur forum defuncti, non tamen fit Servus Domini, quoniam
aliud est Dominium, aliud Imperium. (4.) Ab omni injuriâ sanctos
facit Magistratus: crimen itaq; Majestatis subditus committit, qui con-
tra Principem suum aliquid molitur. *L. 5. C. ad L. Jul. Maj.* (5.) Subdi-
tus non tantum tenetur malam à Domino suo avertere, verum etiam
commodum ejus pro virili promovere, quia non sufficit abstinere à ma-
lo nisi

lo, nisi etiam fiat bonum. (6.) Neq; subditi sine' consensu Domini se
in alterius protectionem dare possunt, si præcipue metus diminuendæ
autoritatis subfit. (7.) Subditus qui sine justâ causâ juramentum subje-
ctionis præstare recusat, amissione bonorum punitur, quia rebelliter vi-
vere præsumitur; opus tamen est sententia declaratoriâ. (8.) Subdi-
tus à Domino ad obedientiam debitam vocatus, si negaverit
homagium præstitum, arbitrariè punitur. *Carpz. Jur.*
For. p. 4. const. 43. def. 8.

Plura addere propositi ratio vetat;
DEO sit laus in secula!



QUÆ tibi jam surgunt laudes, has ardua virtus
Et labor assiduus promeruerè satis,
Pergito sic nostris multum dilecte camœnis,
Mox Astræa tibi digna brabea dabit.


*Optimi parentis p. m. optimo filio domestico suo
dilectissimo gratulatur*


P R Æ S E S.


Mutantur multi salicum caput astra ferire
Sed tamen à fructu participare nihil.
Sic est; queis sterilis fructum natura negavit
Hic cultura nihil, prodiga reddit opis
Nomen qui salicus præfers; in nomine ludis,
Primitias genii reddis amice tui;
I felix! sterilis post hac cultura salebras
Vincet, nec nomen tristia fata dabit.


*Scribebam cum voto felicis. Studi-
orum successus.*


Michael Pancratius, J. U. D.











burgensi Land-Recht lib. 2. art. 60. Jur. Lub. l. 2. traditur, si commodatarius rem sibi traditam alienet, Dominum Commodantem nullam actionem, cui alienatio facta est sed oportere eum commodatarium, da jemand seinen Glauben gelassen suchen / & ut in Jure Lubecensi dicitur Hand in Lib. 3. art. 2. 1. 2. ibique Mey. ubi ratio statuti.


III. Jure Civili cuivis majorenni sanæ mentium administratio & alienatio permittitur l. 1. sicut C. de Obl. & Act. l. in re mandata C. man. sua non abutatur §. sed & major Inst. de his qui tem Saxonico illa potestas est restricta, quia bonorum quæ sita Stammgüter dicta, nemo sine coheredum alienare potest Land-Recht lib. 1. art.

IV. Jure Civili maritus à cura uxoris sua dare tut. & §. pen. Inst. de excus. tut. Ratio ab ipso gestum, propter affectionem remittat, & talibus periclitetur uxor l. maritus. C. qui da Saxon. Land-Recht lib. 1. art. 31. & lib. 3. art. maritus sit legitimus uxoris suæ tutor Ehevogt lebratis nuptiis uxor in potestatem & tutelam ma

V. Majorennis quis de Jure Civili fit, & ætatis compleverit t. 1. ff. de minor. vel veniam l. 2. C. de his qui ven. et. Jure autem Saxonico tur Anno æt. 21. Land-Recht lib. 1. art. 42. & hinc eodem jure terminus restitutionis brevior Civili.

VI. Jure Civili licet Debitor ob æris modo non sit, tamen ideo à Creditoribus suis in detineri, & ad operas jure servitutis præstandas. as. juncta Auth. seq. C. de Oblig. & Act. & ibi de Jure Saxon. veteri Land-Recht lib. 3. art. 3 Lubec. Lib. 1. r. 3. art. 1. ibique Mey. n. 14. à j vitia debitor adjudicandus est, quæ etiam adj tantum locum habet, non autem in dignitate co Exec. p. 1, 6, 6. n. 129.

the scale towards document



1. &
t aut
con
Com
r ihu
ren/
rum
pari
uis re
e au
ma
orum
qui
male
s do
utem
quod
m ce
num
verit
icun
c. 26.
Jure
lven
ivatis
l. ob
otest
Jure
fer
bejis
proc.
VII.